

25

DISSERTATIO INAVGVRALIS CHEMICO-MEDICA
SISTENS

PHOSPHORI VRINAE ANALYSIN ET VSVM MEDICVM

QVAM
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS
EX AVCTORITATE GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
IN REGIA FRIDERICIANA

PRAESENTE

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

DOMINO

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,

POTENTISSIMO PRVSSORVM REGI A CÖNSILIIS INTIMIS
MEDICINAET PHILOSOPH. NATVR. PROFESS. PVBL. ORD.
IMPERIAL. ACAD. NATVRÆ CVRIOSOR. PRAESENTE
ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS


SVMMISQUE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS SOLEMNITER CONSEQUENDIS
DIE XV. FEBRVARII cīo CCCLV.

H. L. Q. C.

PVBLINE PROPVGNABIT
AVCTOR

CHRISTIANVS WILHELM. PENTZKY

WRATISLAVIA-SILESIVS.



HALAE MAGDEBURG LITTERIS FABERIANIS.



DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
SISTENS
PHOSPHORI VRINAE ANALYSIN
ET VSVM MEDICVM.

PROOEMIVM.



*aud exiguus sane usus est, quem
Chemia, nobilissima illa mixto-
rum scientia, per vestigatoribus
rerum naturalium, Medicis imprimis, pae-
stat. Quum enim eadem duce corporum na-*

A 2

tura-

turalium partes essentiales, harumque indoles
Et modus quo inter se vel coëunt, vel a se
in vicem secedunt, cognoscantur, atque ita
permultorum corporum ortus Et interitus sa-
tis distincte intelligi possint: quis inde non
videt, quanto Chemia sit adiumento in cor-
porum natura penitus introspicienda? Et
quo alio modo, quam cognitione mixti, fieri
poterit, ut diversorum medicamentorum effe-
ctus in corpore humano perspicue exponantur?
Manifesto ergo exinde patet, arctum satis esse
nexum, quo Chemia cum Medicina, huius-
que imprimis practica parte, coniungitur.
Hinc magis excolendae amplificandaeque arti
salutari inserviunt conamina Chemicorum,
qui variorum corporum naturalium, praeci-
pue

pue vero illorum, quae ad tollendas corporis
humani aegritudines adhiberi solent, accura-
tiorem suscipiunt investigationem. Horum enim
partibus miscilibus ita in apricum productis,
facilius cognosci poterit, quae inde utilitates,
qualesve noxae, si applicentur ad corpus hu-
manum, proficiscantur. Quum ergo iam
cogitatio illa de pertractando argumento quo-
dam uili, neque ita pertrito & indigno Dis-
sertatione inaugurali, animum meum subiret:
considerationem meam mereri videbatur Phos-
phorus vrinae, singulare illud chemicum pro-
ductum, lucens & inflammabile, dignissi-
mum idcirco contemplatione Physicorum, im-
mo etiam Medicorum, dum illius usum in
morbis quibusdam admodum egregium & effi-

A 2

ca-

cacem fuisse recentior quorundam nobis monstrat experientia; id quod cui innitatur fundamento, curius omnino erit indagandum. Optime autem hoc ipsum propositum perfici posse existimo, si, ex clarius prius demonstratis partibus miscilibus Phosphori urinae, eius postea utilitatem vel noxam, quam corpori humano inferre valet, demonstravero. Faxit Deus O. M. feliciter!



CAPVT



CAPVT I.
DE
PARTIBVS ESSENTIALIBVS
PHOSPHORI VRINAE.

§. I



Phosphori nomen variis corporibus Modus pa-
lulentibus, tam naturalibus, quam randi Phos-
phorum.
arte chemica producatis, tribuere so-
lent rerum naturalium scriptores.
Noster vero Phosphorus, de quo nunc agere ani-
mus est, sibi relictus lucem spargit; igni autem ad-
motus

motus, aut frictione levi agitatus, flamas concipit, insimulque non nisi ex urina parari solet humana. *Anglicanus* etiam vulgo dicitur, vix aliam ob rationem, quam quia tanta eius quantitas in Anglia parari solet, ut inde complures aliae regiones sufficientem eius obtinere queant copiam. In Germania enim primum Phosphorum ex urina elaboratum fuisse, recentiores omnes testantur chemici scriptores, e quorum numero in primis conferri meretur MAQVER in *Element. Chem. Tom. II. p. 88.* ubi insimul fusius describitur modus eundem parandi Dn. HELLOT in primis usitatus, atque in Historia Academiae Regiae Scientiarum Parisinae expositus, cuius potiora in sequentibus consistunt. Urna putrefacta in ahenis ferreis inspissatur usque ad siccitatem, eamque nigredinem, ut similis fere fuligini appareat massa. Haec dein libeti ferreo successive indita continuoque agitata, eousque calcinari debet, donec, sale volatili & oleo foetido plane abactis, fumare desinat, odoremque floribus mali persici haud absimilem spirare incipiat. Huc usque perductae massae duplicata quantitas aquae fervidae affunditur, subagitatur atque iterum lente decantatur; residuum exsiccatur, ac postmodum in pulverem redigitur. Huic pulveri dimidia quantitas arenae admiscetur, atque huic massae sexta pars carbonum ligneorum quorumcunque, in pulverem comminutorum, exceptis quercinis, additur, factaque sufficiente cum aqua humectatione omnia in massam densam dependo coguntur. Haec dein lente exsiccata retortae ter reae

reae, igni validissimo non facile cedenti, ita impo-
nitur, ut collum eiusdem indita non attingat massa, &
tertia illius pars vacua relinquatur. Probe adapta-
to vase vitro recipiente capacissimo, atque ad
sui tertiam partem aqua repleto, retorta furno
reverberii committitur, ubi igne supposito, per
gradus successive aucto, intra duas horas sal
volatilis, amygdala & mala persica redolens, in-
tra vas recipientis transibit. Tribus circiter horis
post huius salis collectionem novi in recipiente
vapores albi comparebunt, odorem salis ammo-
niaci, carbonibus ignitis inspersi, spirantes, in den-
sas istrias salinas ad latera recipientis coēntes,
Phosphorumque brevi subsecuturum praenun-
ciantes, pristino prius odore in alliaceum com-
mutato. Ex quo vapores isti albi prius visi sunt,
intervallo trium horarum visui se praebebit vola-
tilis seu spurius Phosphorus, quem praeterlapsis
duabus horis genuinus iam inequitur, maxima
ignis vi propulsus, sub specie olei vel cerae li-
quefactae, cuius pars quaedam fundum recipientis
petit, quaedam vero aquae in eodem contentae in-
natat. Quamprimum superior recipientis pars,
ubi Phosphorus volatilis in cuticulam subnigram
abiisse videtur, candefieri incipit, statim, obtu-
ratis furni spiraculis, ignis supprimitur, & univer-
sa operatio hoc modo ad finem perducitur. Fur-
no plane frigefacto exemptisque vasis, contentus
in recipiente Phosphorus ab alienis ipsi adhaeren-
tibus diligenter separatur.

§. II.

Scholion ge-
nerale.

Modus, quem ego adhibui ad parandum Phos-
phorum, re ipsa quidem convenit cum illo, qui in
§. praeced. describitur, hoc unico tamen excepto,
qvod urinam putrefactioni non exposuerim, ita
quoque praecipientibus Chemicis quibusdam.
Nullus autem inde obtinebatur Phosphorus. Ne-
cessario itaque praemittenda videtur urinae putre-
factio. Modus vero procedendi, a me observa-
tus, ita erat dispositus. Urina ad mellis consisten-
tiam inspiissata, ex retorta vitrea, in furno ollae,
sive balnei horizontalis, (a b. TEICHMEYERO
in *Instit. Chem.* p. 42. descripto) collocata, eos-
que destillabatur, donec sal volatilis & oleum em-
pyrevmaticum prorsus transcenderint, & retorta
liquefieri incepit. Massae in retorta relictae,
uncias viginti & quatuor pondere aequanti, are-
nae uncias duodecim & carbonum pinastri uncias
octo admiscui, illamque adspersa aqua in densam
quandam massam redegi, globulos exinde forma-
vi, eosdemque exsiccatos terreae & bene lorica-
tiae retortae indidi, quam furno reverberii impo-
siui. Exorsus tunc destillationem, eandem per ne-
cessarios ad hunc laborem ignis gradus continua-
vi, ita ut tubum quendam insimul in auxilium
vocaverim, quem furno applicui, ad ignis vehe-
mentiam eo magis augendam; omnia tamen haec
irrita erant & frustranea. Praeter enim paucum
liquidi aquei, quod prodibat, in recipiente sta-
tim copiosi colligebantur vapores, quos flammae

co-

coeruleae oberrantes excipiebant. Licit ergo cum vehementissimo igne, a quo ipsius furni lapides lateritii liquefieri incipiebant, per triginta & sex horas continuaverim, nullum tamen vel levissimum veri Phosphori adparuit vestigium, unde invitus ab hac operatione tandem desistebam. Exemptam vero massam ex retorta, novaeque ingestam, in furnum denuo collocavi, ignemque folle continuo sufflando & emovendo, in vehementissimo hoc gradu per sex integras horas exercui, sine ulla tamen Phosphori productione. Iterata igitur vice operationem cum eadem massa pertentare mecum constitui, mutata tamen quantitate arenae & carbonum. Unciis enim viginti & duabus massae undecim uncias tam arenae, quam carbonum, adieci, globulisque inde confectis & exsiccatis, pristinam operationem denuo aggressus sum, sed simili frustraneo cum eventu, sicuti antea. Venalem ideoque Phosphorum, in Anglia paratum, quem pleraque officinae nostrae servant, ad capienda experimenta sumsi, quorum seriem nunc propositurus, L.B. prius edocere debo, salem alcalinum purissimum, oleum vitrioli fumans, aquam destillatam, vas a semper nova fuisse, quibus usus sum ad experimenta cum Phosphoro instituenda, ut omnia eo magis ad liquidum perducta esse videantur.

§. III.

Phosphori scrupulum unum accendi in de-
truncata cucurbita, quam alia eidem adaptata ob-
tum I.
B 2 tegi.

tegi. Ascendebant flores, qui superiori cucurbitae adhaerebant, & pondus quindecim granorum aequabant; praetermissis illis, qui fundum versus cucurbitae inferioris decidebant. Deliquescebant tandem omnes isti flores intra dimidium diei, dilutisque iisdem, adfusa sufficienti aquae copia, oleum tartari per deliquium in tanta addidi quantitate, quanta opus erat ad perfectam fluidi saturationem, quod deinceps, praevia evaporatione, in frigidum reposui locum. Mira erat varietas generatarum crystallorum. Aliae enim circuli, aliae prismatis, aliae incerti nominis figuram referabant. Omnium pondus ad duos scrupulos & grana quinque accedebat, quod tamen, peracta calcinatione, ad duos imminuebatur scrupulos, ubi simul speciem vitri prae se ferre videbantur. Salis illius haec erat indoles. Solutionem argenti & auri turbidam reddidit, sine ulla ulteriori precipitatione, relicta terra, quae ante follem ignita in vitrum abiit, ponderis granorum quatuor. Cum pulvere carbonum permixtus, atque dein fusus in igne, in hepar sulphuris degeneravit, unde beneficio aceti sulphur praecepitabatur, quod sublimatum septem grana pondere referebat, simillimumque sulphuri vulgari erat.

Recensentur in *Commenc.litter. Norimb. ann. 1735. Hebd. XXIV.*
experimenta quadam cum Phosphoro a FROBENIO instituta,
atque ab HANCKEWITZIO, famigeratissimo Phosphori in
Anglia conditore, repetita, quae nonnullis in experimen-
to meo contentis contraria esse videntur. Obtinuit nempe
celeberrimus Auctor ex Phosphori sub campana deflagrati
uncia

uncia una, florum alborum drachmas decem, conseqüenter longe plus, quam de Phosphoro ad deflagrationem sumtum erat. Deliquescebant isti flores in fluidum, oleo sulphuris per campanam simile, quatuor uncias & duas drachmas pondere aequans; quum e contrario ex meo experimento appareat, quantitatem florum, impetratorum ex combustione Phosphori, quantitatem huius ipsius non superasse, sed ea adhuc paullo inferiorem fuisse. Et sane puto idem rei ipsius naturae magis congruum esse. Propriissimi sunt isti flores ad deliquescendum, ideoque humidum ex aere avidissime imbibunt. Quid igitur mirum, si diu frigefacti pondere increaserint, aucta in iisdem aquae, ex aere, quantitate, atque insimul in liquidum tanti pondoris confluant?

§. IV.

Ex floribus Phosphori, facta cum sale alcalino purissimo saturatione, obtinetur sal, qui cum pulvere carbonum permixtus, in igne in hepar sulphuris abit, ex quo genuinum sulphur praecipitatur (§. ant.). Sed huius naturae nulli alii sales sunt, quam qui ex acido vitriolico, cum sale alcalino probe & arcte unito, oriuntur, exemplo Tartari vitriolati: quemadmodum idem in Chemia variis evincitur experimentis. Ut de eo nihil dicam, quod ad genesin sulphuris requiratur phlogiston & acidum vitriolicum: idem hoc Chemia quoque praecipiente. Quis inde non videt, *Phosphoro inesse acidum vitriolicum?* Porro quia etiam terra, post eiusdem salis solutionem residua, in vitrum confluere poterat (§. ant.): eandem vitrescibilis indo-

lis esse patet. Neque ideo terra vitrescibili destituitur Phosphorus.

Veritatem Consectarii complura sequentia experimenta confirmabunt, suppeditatura simul alia, quae ad partes miscibilis Phosphori rite intelligendas pertinebunt.

§. V.

Experimentum II.

Cum duabus drachmis inspissati olei tartari per deliquium commiscui scrupulum unum Phosphori, illumque, adfusa aqua, in spissam quandam pulticulam redegi, quam per dimidium diem bene trituratam, tigillo indidi, pro calcinatione perficienda. Deflagrato Phosphoro, spumisque evanescientibus, massa fluere incipiebat, adparente in superficie cuticula vitro simili. Massae huius frigefactae sequens erat conditio. Ab aqua fervente intra dimidiam horam solvebatur. Frigido aëri dein exposita, suppeditabat tartari vitriolati scrupulum unum & grana tria, salis marini grana duodecim; relicta terra, quatuor granorum pondus quadantenus exsuperante, quae in vitrum facillime converti poterat.

§. VI.

Consectarium.

Quum, modo illo in §. praeced. determinato, tartarus vitriolatus, vitrum, & sal communis obtenta sint: sequitur, ut praeter acidum vitriolicum, & terram vitrescibilem, acidum quoque salis communis Phosphoro insit.

§. VII.

§. VII.

Drachmam unam olei vitrioli fumantis cum ^{Experimen-}
aequali aquae portione commiscui, iniectumque ^{tum} III.
huic fluido Phosphorum, cuius scrupulus unus
sumebatur, ex retorta, vase recipiente eidem fir-
miter applicato, in furno balnei horizontalis de-
stillavi. Quamprimum contentum in retorta
ebulliret, sub solita sibi specie Phosphorus trans-
cendere incipiebat, cuius pars quaedam deflagra-
bat, quaedam vero submersa in fluido, simul trans-
gresso, in fundo vasis recipientis iacebat. De-
stillationem eousque continuavi, donec retorta
canduerit, nec amplius quid adscendere visum
fuerit. Frigefactis vasis retortam abscidi, atque
in illius fundo haerenti albae materiae, acidum
redolenti, aquam adfudi, eamque per aliquod
tempus ibi reliqui, ac postea fluido adieci, quod
in vas recipiens transferat. Exsiccata illa mate-
ria candida quatuor granorum pondus referebat.
Phosphori vero, quem aliquoties aqua ablueram,
erant grana quinque. Aquam istam, qua ablue-
batur Phosphorus, transgresso in vas recipiens
fluido adieci, huicque tantum olei tartari per de-
liquium instillavi, donec effervescente desierat.
Post bis repetitam evaporationem nascebantur
crystalli, quarum priores suppeditabant tartari
vitriolati drachmam unam & scrupulum unum,
postiores salis culinaris grana octodecim.

§. VIII.

§. VIII.

Experimentum IV.

Permiscui Phosphori scrupulum unum olei vitrioli drachmis duabus, atque biduo elapsò ex retorta, in furno balnei horizontalis collocata, distillavi. Adscendebant vapores albi, absque ullo vestigio Phosphori. Ignem in eodem gradu tam diu conservavi, donec nulli amplius vapores prodirent, tuncque maiorem eius gradum adhibui, ut retorta canderet, quam, facta refrigeratione, diffregi, & in fundo eius terram albam inveni, quinque granorum pondus aequantem, similemque illi, quae in experimento praecedente obtinebatur, eadem hic quoque operatione repetita. Terra ista, dentibus submissa, stridorem concitabat, vitris asperitatem inducebat, atque in igne, follis ope concitato, in vitrum mutabatur, sicuti illa, quam experimentum in §. anteced. descriptum exhibuit. Fluidum in vase recipiente collectum sulphureum spirabat odorem, cui, adfusa aqua diluto, oleum tartari per deliquium ad effervescentiae cessationem usque instillavi. Facta evaporatione, quam bis repetii, tartari vitriolati drachmam unam cum scrupulis duobus & granis octo obtinui, illaque ulterius continuata, salis culinaris grana septemdecim prodibant.

§. IX.

Consectari-
um.

Ex §§. VII. & VIII. tuto colligere licebit,
*contineri in Phosphoro terram vitrescibilem & acidum
salis culinaris.*

§. X.

§. X.

Unciis duabus olei tartari per deliquium unius Experi-
Scrupulo Phosphori adfusis, destillationem ex re- tum V.
torta in balneo horizontali aggressus sum. Ignem
lenem servavi, ut aqua vix ebulliret, quamdiu
vapores aquei elevabantur; his vero disparenti-
bus, maiorem eius gradum adhibui, ut retorta
candesceret. Demto vase recipiente a retorta
frigefacta, fluidum in illo contentum odorem
Phosphori spargebat. Acidum igitur oleo tartari
per deliquium saturandum esse iudicavi, hocque
facto, praevia evaporatione, impetravi tartarum
vitriolatum & salem marinum, illius nempe grana
octo, huius vero septem. Residua massa salina
in fundo retortae, soluta ac postmodum evapora-
ta, grana sedecim tartari vitriolati, & decem sa-
lis communis largiebatur, relicts quinque granis
terrae illius albae, amplius ab aqua solvi nesciae,
& vi ignis ad transitum in vitrum pronissimae.

§. XI.

Facile exinde cuilibet adparet, fieri posse, Consecutari.
ut ex §. praeced. eodem modo inferatur, quo fa- rium.
ctum est §. VI. constare nempe *Phosphorum ex terra*
vitrescibili, acido vitrioli & salis marini.

§. XII.

Crystallorum nitri unciam unam granis de- Experi-
cem Phosphori adieci, haecque coniunctim in tum VI.
C mor-

mortario vitreo contrivi. Flammam concipiebat Phosphorus cumque nitro detonabat. Facta materiae refrigeratione vix determinari poterat, quantum illius per detonationem perditum esset; alcali tamen inde ortum facile fluebat in aëre. Experimentum hocce aliquoties repetii, mutata Phosphori quantitate, semperque incendebatur Phosphorus & cum nitro detonabat, relicta salis alcalini portione modo maiore, modo minore.

§. XIII.

*Consestat-
rum.*

Inflammabilem hanc indolem esse Chemia docet, ut cum nitro detonent, illudque in salem alcalinum convertant. Utrumque iam contigit, contrito Phosphoro cum nitro (§. antec.). Ergo non poterit non inde confici, *Phosphoro inesse phlogiston seu inflammabile.*

Ut vero constet, quantum phlogisti in Phosphoro continetur, sequens notandum erit experimentum.

§. XIV.

*Experimen-
tum VII.*

Nitri drachmam dimidiam crucibulo indidi, igne fudi, eidemque dein partitis vicibus Phosphorum adieci, idque ad absolutam usque nitri detonationem continuavi. Indagato pondere residui Phosphori, cognovi, me integrum fere scrupulum Phosphori, ad detonationem cum nitro penitus perficiendam, consumisse. Nondum vero

vero mihi sufficiens esse videbatur propositum hoc experimentum, ad cognoscendam phlogisti in Phosphoro quantitatem, adeoque de novo instituendo, quod scopo meo magis satisfaceret, cogitandum erat. Ponderibus igitur minoribus prius paratis, duas aequales portiones nitri sumsi, harumque unam cum sulphure, alteram vero cum Phosphoro penitus detonavi. Sulphuris pondus, ad detonationem nitri adhibiti, accedebat ad grana octo & partem quartam unius grani; detonatio autem nitri, ope Phosphori peracta, huius scrupulum unum & grana quatuor requirebat. Atque ita quantitas sulphuris ad quantitatem Phosphori, pro detonatione nitri adhibiti, in relatione erat ut 11. ad 32.

§. XV.

Ut uncia una nitri cum sulphure perfecte detinet, huius drachma una cum scrupulis duobus & granis quinque requiruntur; id commonstrantibus experimentis chemicis. Quodsi iam cum Illustr. b. m. STAHLIO in Fundam. Chem. Part. III. p. 309. adseveraveris, integrae librae sulphuris vix drachmas duas phlogisti inesse: evicta illa in §. anteced. proportione sulphuris ad Phosphorum in detonatione cum nitro adhibiti, phlogisti quantitas in Phosphoro perquam facile determinari poterit. Ratione scilicet recte facta, calculoque subducto, apparebit, quantitatem phlogisti, in uncia una Phosphori contenti, vix superare tria grana.

Consectari-
um.

Quam exigua phlogisti in Phosphoro quantitas! Consen-

C 2

tiunt

tiunt in idem alia superius iam enarrata experimenta.
Nam ex scrupulo uno Phosphori, praeter acida & terram
vitrescibilem, accendentia iam ad pondus Phosphori, ni-
hil amplius obtinebatur; quod secus se habere deberet,
si ita insignis foret in Phosphoro phlogisti copia.

§. XVI.

Experimen-
tum VIII.

Operatione illa cum Phosphoro in aëre lique-
facto instituta, quam in §. X. descripsi, eadem pla-
ne prodibant, quae ibi enarrantur.

§. XVII.

Consesta-
tium.

*Exinde igitur ad praesentiam acidi vitrioli & salis
marini, nec non terrae vitrescibilis in Phosphoro, eodem
iure concludendum erit, quo factum est in §. XI.*

§. XVIII.

Experimen-
tum IX.

Ad indolem illorum omnium salium, qui per
experimenta praecedentia in crystallos commutati
obtinebantur, & naturam terrae illius residue vi-
trescibilis exactius cognoscendam, sequentia nota-
ri merentur. Tartarus vitriolatus praecipitabat
solutionem auri & argenti; commixtus cum car-
bonibus in hepar sulphuris transibat, sicuti tarta-
rus vitriolatus solita methodo praeparatus, &
eundem saporem non minus, quam easdem cry-
stallos referebat, & calcinatus duodecimam gravi-
tatis suae partem amittebat. Sal marinus eundem
cum vulgari saporem linguae imprimebat; in cry-
stallos

stallos cubicas abibat; sub calcinatione crepitabat, perdita gravitatis suae parte sexta; aptus erat ad parandam aquam regiam, qua mediante aurum solvebatur. Vitrum vero, ex terra illa residua confectum, durum, firmum & pellucidum erat; simillimum cuilibet aliis optimae notae vitro.

§. XIX.

Inspissatum oleum tartari per deliquium, quod Experimen-
in prioribus experimentis adhibui, plus de acido ^{tum X.}
salis, quam vitrioli, ad sui saturationem recipie-
bat. Huius enim olei drachmae duae non nisi a
drachma una & dimidia acidi salis saturari poterant;
quum huic operationi drachma una acidi vitrioli
sufficeret.

§. XX.

*Phosphorus urinae considerandus est ut mixtum, con-
stans ex acido vitrioli, salis communis, terra vitrescibili
& paucō phlogisto. Infunt enim ista acida Phosphoro* Quaenam
fint partes
misibilis
Phospho-
*urinae, una cum terra vitrescente (§§. IV. VI.
IX. XI.), quae singula quam genuinae naturae sint,
ex §. XXIII. clarius perspicitur. Sed Phosphorus
urinae etiam phlogisto non destituitur (§. XVIII.),
quod vero in eius integra uncia vix tria grana ex-
superat (§. XV.). De exiguo ergo phlogisto, quod
insimul continet Phosphorus urinae, dubitari ne-
quit. Unde ex his iam constat veritas propo-
sitionis.*

De acidis modo dictis, partes quasdam miscibiles Phosphori

C 3

con-

constituentibus, convenienti complures viri celeberrimi, ut BOERHAAVIUS in *Elem. Chem. Tom. I. p.m. 380.* Part. II. p. 327; MARGGRAFF in *Miscellan. Berolinens. Tom. VI.* pag. 61. a quo simul terra vitrescibilis observata fuit, & plures alii. Phlogisti insignem copiam in Phosphoro latitare, communis fert opinio Physicorum & Chemicorum. Sed quam parum assertum istud cum experimentis congruat, id fatis puto ex superioribus constare posse, licet de reliquo praesentia alicuius phlogisti in Phosphoris minime neganda sit, utpote quam experimentum in §. XII. propositum, pluribus vicibus repetitum, evinxit. Atque id semper non solum cum descripto ibidem successu, sed & cum aliqua tartari vitriolati (vel magis hoc loco arcani duplicati) genesi, post perfectam nitri detonati evaporacionem, ita evenit. Quare autem ab aliis, experimento eodem instituto, nulla detonatio observabatur? Conf. Excellentiss. JUNCKERI *Chem. german. Tom. III. p. 170.* Videtur mihi in culpa fuisse humiditas nitri. Clarius praeterea intelligi poterit admodum exigua illa copia phlogisti in Phosphoro, huius nempe reliquis partibus constitutivis ad rationes ductis, calculus facile confici poterit. Constat enim quantitas acidi vitrioli & salis communis, necessaria ad saturationem certae quantitatis salis alcalini (§. XIX.). Cognita quoque est quantitas decrementi, quod tartarus vitriolatus & sal communis ex calcinatione patiuntur (§. VIII.). Ex quibus iam, calculo rite instrueto, apparebit, scrupulum unum Phosphori in se continere de acido vitriolico grana septem & paullo plus, de acido autem salis marini grana septem & quod excurrit. Hisce addito pondere terrae vitrescibilis, pondus integri fere scrupuli prodit, ut itaque phlogisti quantitas in uno scrupulo Phosphori vix ac ne vix quidem determinari possit.

§. XXI.

§. XXI.

Quum positis iisdem miscibiliibus, servatis ^{Consecta-}
eorundem quantitate modoque, quo inter se coë-
unt ad mixtum quoddam certae speciei constituen-
dum, idem quoque mixtum necessario oriri de-
beat: sequitur, *ut propositio §. ant. usum habere pos-*
fit, ad iuveniendum modum parandi Phosphorum multo
faciliorem vulgari.

§. XXII.

Combustus, aut in aëre liquefactus Phospho- Experimen-
rus, ope pulveris carbonum iterum restitui potest, ^{tum XI.}
idque aliquoties.

§. XXIII.

Commixtis drachma una sulphuris, uncia di- Experimen-
midia spiritus salis fumantis, & duabus drachmis ^{tum XII.}
arenae purissimae, quam vitriarii ad vitra crystal-
lina conficienda adhibere solent, adornavi destilla-
tionem ex retorta in balneo arenae. Postquam
omne phlegma in vas recipiens transiit, sublima-
tum quoddam ad latera retortae comparebat.
Ignis erat
quod mox post sui ortum deflagrabat. Ignis erat
tanta claritas, quanta cōspicitur in Phosphoro
incenso. Dignum mihi videbatur experimentum
nova repetitione, quam etiam suscepi, adiectis
tamen duabus drachmis olei vitrioli & drachmis
tribus salis communis, iterumque in conspectum
prodi-

prodibat simile sublimatum, sed fortiorē diutiusque durantem flammatā sub deflagratione monstrans.

Nonne bina haecce experimenta veritatem asserti in §. XXI, confirmare aliquo modo videntur?

§. XXIV.

Experimen-
tum XIII.

Phosphorus nunquam aliter incenditur, quam accendentibus vel agitatione per frictionem aut triturationem, vel calore ignis. Neque omnis trituratione id praestare valet. Facta enim cum corporibus aquaeas partes adhuc continentibus, ut electuariis, syrupis, & pluribus aliis, nullam Phosphori succensionem producet.

§. XXV.

Experimen-
tum XIV.

Commixto Phosphoro cum syrupo violaceo, huius colorem nihil plane exinde mutatum iri deprehendes.

§. XXVI.

ciditas
Phosphori
deflata
i qualis?

Acida Phosphori non deflagrati obvoluta esse debent.
Pone enim contrarium, acida nempe in Phosphoro non deflagrato esse libera, tunc sub commixtione cum syrupo violaceo rubrum ipsi colorem induceret, quem acida quaecunque libera admixta semper in eodem nobis fistunt. Sed hoc contradicit experimento (§. XXV.); adeoque quoniam tamen

tamen de existentia acidorum in Phosphoro dubitari nequit (§. XX.), illa ut obvoluta sint oportebit.

Phlogiston pollere vi edulcorandi acida, Chemia docet. Quod ideo quoque in Phosphoro fieri potest. Nec obstat exigua copia phlogisti in Phosphoro, quum & ipsum sulphur parcam eius contineat quantitatem, testante id experimento Illustr. b. m. STAHLII in §. XV. allegato. Estque revera Phosphorus sulphur sua specie. Nonne vero etiam ista acidorum Phosphori obvolutio iuvatur a terra illa residua, in vitrum abeunte? Satis omnino probabile id mihi videtur.

§. XXVII.

Praecipua me puto hactenus protulisse, quae Transitus ad Phosphori mixtionem cognoscendam pertinet: atque ita analysi huius mixti absoluta ad alteram Dissertationis meae partem progredior. Cap. seq.

CAPVT II.

DE

VSU MEDICO PHOSPHORI VRINAE.

§. XXVIII.

Phosphorus urinae, interne sumtus cum conserva, syrupo, aut electuario aliquo, neque rodendo, neque usus interurendo, corpori humano nocere potest; praecipue si illius usus innovus quomodo?

D

dosis unum vel alterum granum non excederit. Acida enim edulecorata non rodunt, nec stimulant, exemplo liquoris anodynī mineralis, & aliorum spirituum acidorum mineralium dulcificatorum, immo etiam ipsius sulphuris vulgaris; utpote quiae ad usus internos frequentissime adhibentur, sine ullo metu arrofionis subsecuturae. Sed acida non alia Phosphoro inexistunt, quam obvoluta (§. XXVI.). Ab usu itaque eiusdem interno nulla pertimescenda erit arrofio. Quum praeterea ex physiologicis constet, ingentem esse quantitatem aquae immixtae elementis corporis humani: hinc & flammam concipere non poterit Phosphorus, licet delatus in ventriculum ibidem frictionem quandam experiatur; siquidem ab illius commixtione cum aliis corporibus aqueis nullum suboritur incendium (§. XXIV.). Neque porro tantus gradus caloris in corpore humano obtinet, quantum habet aqua ebulliens, ut inde forte flagrare inciperet Phosphorus. Adeoque nullo modo fieri potest, ut is, accensus ob calorem corporis nostri, urentem exferat effectum. Haec ergo mala quum per se inania sint (per demonstr.): eadem multo minus metuenda erunt, si Phosphorus ad unum saltem alterumve granum pro dosi exhibetur; indeque nunc veritas propositionis elucescit.

§. XXIX.

Vnde Phos-
phori virtus

Volatilis valdeque activae indolis Phosphoru-
rum urinae esse, communi observatione edocemur,
Con-

Constat ille porro ex acidis edulcoratis (§. XXVI.), ^{in corpore humano de-}
ut inde nocivus esse nequeat (§. ant.). *Fieri ergo rivanda?*
omnino potest, ut Phosphorus minima etiam vasa corpo-
ris transcat citissime, eadem reddat permeabilia motum-
que illorum systalicum augent, excretionem peripheri-
cam promovent, tandemque putredini resistat.


§. XXX.

Speciatim autem interne exhibitum Phosphorum urinae Scholion ge-
saluberrimum effectum praestitisse in febribus malignis exan-^{nerale.}
thematicis, ubi ob deficientes vires aegrotantes in summo vi-
tae periculo versantur, *Illustr. b. m. VATERUS testatur in Dissert.*
de Phosphori loco medicinae assunti virtute medica (cura qua et-
iam conferri merentur ea, quae in b. SCHVLZII *Praelection. in*
Dispensat. Borussio-Brandenb. Edit. novis. pag. 405. adducta
funt). Cito enim expulsis exanthematibus, retrocessum iam mi-
nitantibus, vel actu retrogressis, vires aegri subito renasci in-
cipiebant, cum redeunte tandem sanitatem. Neque etiam in-
congruum huic scopo constituit remedium. Ob partes enim
acidas resistit putredini, & ob insignem activitatem vasā mi-
nima cito afficiuntur, ut, tempestive restituta transpiratione,
exanthemata iterum in peripheria comparere possint, id quod
praecipuum est ad persanandas febres malignas pessimae indolis.
Specifica sulphuris vulgaris virtus notissima est, ad expellen-
da exanthemata scabiosa, facileque exinde colligere licet, quod
tali ratione Phosphorus urinae cum illo quadantenus conveniat
(§. XXVI. in Schol.). Cur ergo & ille non valeret ad exan-
themata in corporis superficiem revocanda. Laudatur praeterea ab *Illustr. b. m. STAHLIO l. c. Part. II. Tratt. I. p. 58.*
Phosphorus ad dolores & spasmos internos & externos lenien-
dos & profligandos. Qui porro consideraverit, quantam saepe
vim anodynā acida dulcificata praestent, quantumque operae

impendendum sit Medicis in spasticorum adfectuum curationibus, ut minimorum vasculorum obstrunctiones referentur, is sane, probe consideratis iis, quae supra de Phosphoro dicta sunt, adsignatam ipsi talem virtutem non omni carere fundamento, facile perspiciet. Mereri ergo mihi videtur Phosphorus maiorem attentionem Practicorum. In praefentiarum autem, ob defectum plurium observationum, ulterius progredi non licet, unde iam, evictis generalioribus, Dissertationi huic luctet imponere

FINE M.





29

SVMMORVM IN MEDICINA HONORVM

C A N D I D A T O

S. D.


D. ADAMVS NIETZKI.



Inde prima notitia inter nos nata est, PRAESTANTISSIME CANDIDATE, quod scholis meis medicis assiduus interfueristi auditor. Et statim impetraui occasionem in TE admirandi legitimatum iudicium de rebus physicis aequae, ac medicis, praelarosque animi TVI impetus, ad acquirendam cognitionem distinctam eorum, quae natura paullo recondita esse voluit. Quo rarer ista animi virtus est inter Aesculapii filios, qui in Academiis studiorum caussa commorantur: eo maiorem laudem TIBI iam apud omnes bonos, atque ab omni studio partium alienos promeruisse mibi videris. Quam perspicuo modo,

D 3

con-



concinnoque ordine experimenta cum Phosphoro cepisti, quam
 solidam huius theoriam inde deduxisti? Utinam exemplum
 TVVM ad omnes illos iret, qui Medicinae amplificandae
 caussa ad Chemica experimenta animum convertunt! Est enim
 Dissertatio *TVA* praeclarum quoddam specimen, quam ac-
 curate instituenda sint experimenta Chemica, si illorum usus
 quidam esse debeat, ad recte concipiendam inde rei cuiusdam in-
 telligentiam. Quum iam laureandae diligentiae *TVA* festiva
 illa dies immineat, dum ab *AMPLISSIMO MEDICORVM OR-*
DINE IN REGIA FRIDERICIANA summi in arte salutari hono-
 res *TIBI* propediem conferendi sunt: mihi ipsis non satisfacere vi-
 derer, si hanc sollemnem occasionem absque publico quodam
 animi mei erga *TE* documento praetermitterem. Gratulor
 itaque, *DOCTISSIME CANDIDATE*, non ob op-
 ponentis munus, quod suscepit mihi delatum, sed singulari
 quodam animi mei affectu concitatus, *TIBI* vere gratulor
 Doctoris dignitatem. Quae vti ingenii cultioribus solum
 vero ornamento cedit: ita nullus plane dubito, fore,
 ut in posterum quoque ex pluribus aliis speciminibus egregiis
 orbi litterario constet, quanta *TVA* conamina sint, ad augen-
 dam illustrandamque artem salutarem. Quod reliquum
 est, me *TVA* amicitiae nunquam non perennaturae commen-
 do, atque *TE* bene ex animi sententia valere iubeo.
Dabam in Regia Fridericiana Id. Februarii A. R. S.

clo 10 CC LV.

Freund



Freund, wer die Wahrheit kennt, und
ihre Spuren sieht,
Der ist nicht um den Glanz der
Schwägerey bemüht,
Durch den das Vorurtheil oft trübe
Augen blendet.
Umsonst schmückt sich der Stolz mit
grosser Leute Ruhm:
Die Schriften, die er zeigt, sind nicht sein Eigenthum;
Sie sind ein frembdes Gut, das er zu frech entwendet.

* * *

Betrug, Verleumbdung, List hat manchen gross gemacht,
Und oft den schwächsten Kopf bis zu dem Thron gebracht,
Von dem der Weisheit Mund die späte Nachwelt lehret:
Doch schreckt der Titel Herr den wahren Kenner nicht;
Er reist dem frechen Stolz den Schleyer vom Gesicht,
Der frey und unverschämt das Heilighum entehret.


* * *

Nur blöde Seelen täuscht der äusserliche Schein.
Man hüllet jeden Sas in dunelle Räthsel ein,
Nachdem sie Weisheits voll wie zum Oracul eilen.
Die Bücher, die er schreibt, sind Werke seiner Hand;
Die Worte sind von ihm, von andern der Verstand;
Er wird einst seinen Ruhm mit seinem Sezzer theilen.

* * *

O glücklich, wer den Dunst der Eitelkeit verlacht;
Aus leeren Worten sich nicht Götter-Sprüche macht,
Die vor dem Unverstand des Geistes Schwäche decken.
O glücklich, wer wie Du mit eignen Augen schaut,
Was die Natur erzeugt, und was die Körper baut,
Und die auf dieser Bahn der Weisheit Wollust schmecken.

Du



Du hast, gelehrter Freund, mit eifrigem Vermüthen,
Der Körper Stoff getrennt, die unsre Blicke fliehen;
Dein Fleiß hat viel entdeckt, was grosse Kenner schätzen:
Fahr unermüdet fort auf der betretenen Bahn,
So wird die Nachwelt einst, für das was Du gethan,
Dir, wie dem grossen Stahl, ein ewig Denckmahl setzen.

* * *


Ich aber werde mich bey Deinem Glücke freun,
Und unveränderlich, Dir, solche Freude werhn,
Die Deine Freundschaft auch noch fernerhin verdien.
Jetzt wird Dein Fleiß belohnt, die Ehre ruffet Dir:
Der Wünsche Wehbrauch dringt aus jeder Brust herfür:
Dein Wohl und Deine Schrift, Freund, müsse ewig grünen.

Christian Gottlieb Rudolph,
von Breslau aus Schlesien,
Opponens.

M.to Ill.e Sig.re P.ne Stimatis.mo



a che la conoscei, osservai in lei non solamente una vita modesta, mà anche una indifferenza diligenza negli studii filosofici, come anche medici. Mà per lo più s'ha essercitato nella chimica, che non solo ha frequentato tutte le hore chimiche, dal fù celeberrimo il Sig^r Professore Strumpff, con cui hebb spesso sermoni privati, mà anche il resto s'applicò stessò nel suo allontanamento per esperimentar la prattica chimica. Onde per ottenere il grado dottorale s'ha eletto una materia grave e difficile, quale impresa però a V.S. Mio carissimo l'è felicissima, credo per certo che non si pentirà, nè del tempo nè dei lavori presi, nè del



del costo, e per l' affetto, che sempre l' ho portato non posso far,
che non mi gratuli delli di lei onori e del felice ritorno alla
patria sua per goderfi dei suoi amici e per vivere longamente in
santa pace.

Di V. S. M.^{to} III.^c

Hala li 12. Febraro
1755.

Humilis^{mo} e Devot^{mo} Ser. re ed
Amico

FEDER. AMAD. SCHIFFEL
d' Hala.



enique Pieriam circum TVA tempora laurum
Flebit Hygea TIBI, & meritos largitur
honores:

Semper enim summis, illius castra, secutus
Es, studiis, animos illi corpusve dicasti.
Gratulor huncce TIBI splendorem, gratulor
hocce

Egregium specimen doctrinae, arteisque sagacem,
Cuius ope errores, scite, tenebrasque repellis.
Gratulor, ut sospes patriam patriosque penates
Excipias; aegris queis squalida & horrida vultum
Defoedat macies, solamina firma ministres:
Ut Sanctum, semper, Numen TVA vota secundet.
Vive! Vale! Flore! Fugiant TVA limina, tristes
Aerumnae! Memori semper me mente recondas.


Sic

Amico optumo

Jura Doctoralia ambienti
plaudens gratulatur

JOANNES AUGUSTUS LIEBMANN
Hala-Magdeburgicus, Med. Cult. Oppon.

E



VIRO PRAENOBILISSIMO, DOCTISSIMO,
SVMMORVM HONORVM MEDICORVM CANDIDATO,
AMICO SVO OPTIMO,

S. D. P.

I. P. L. PRÜBTING, MED. CVLT.
WESTPHALVS.



uamprimum in consuetudinem TVAM mihi
venire contigit, AMICE SVAVISSIME!
statim animi TVI integratatem & in edi-
scendis artibus & scientiis soleritiam vidi
& admiratus sum eximiam. Praesertim
vero laboribus & exercitiis chemicis, to-
tum quasi TE deditum conspexi. Quid itaque mirum,
quod materia haec hand vulgaris, accurataque perfructu-
tione dignissima, de PHOSPHORO URINAE, pro thema-
te inaugurali, summarum in Medicina dignitatum impetrar-
darum caufa, abs TE adornata, eiusdem esse debuerit
tenoris. Amicitia illa, qua Tecum huc usque usus sum,
indignum omnino esset, si de hoc plane Tvo egregio spe-
cimine, de profectibus per industriam TVAM impetratis, de
dignitate DOCTORALI, quam praemii loco iam reportas,
& feliciter absoluto studiorum TVORVM curriculo plaudens
gratulari nolle, hoc potius officio meo summa cum
laetitia fungar. Nihil itaque magis in votis habeo, quam
ut PARENTVM TVORVM spectatissimorum amplexibus felix
excipiare; ut secundis pergas avibus viamque, quam fel-
iciter exorsus es, ulterius ambules; ut omnia TVA, quae
aggrederis, conamina fausta esse Summum iubat Numen, ut
patriae TVAE florentissimac sis ornamento, aegrotis folamini,
orbique litterato emolumento: ut denique amicitiae
nostrae etiam absens haud vivas immemor.

Vale.

PRAENOBISSIMO
DOCTISSIMO CANDIDATO
S. P. D.
IOHANN VALENTIN WEIGAND
WRATISLAVIA - SILESIUS.


35



x quo familiarius in amicitiam TVAM per-
venire mihi licuit, quod iam aliquot ab-
hinc annis factum est, antequam Academ-
iam hanc peteremus, suavissima Ty a con-
sociatione uti, pergratium, immo gratissimum mihi un-
quam fuit. A primis fere unguiculis animus Tvv s, huma-
nitatis & integritatis laude conspicuus, mihi iam innotuit.
Mentem ad quaevis bona atque eximia aliquando natam in
T E esse tum compertum non sine voluptate recordor. Sed,
nec hanc quidem mentis bonitatem & affectionem, quibus
paucissimos habes pares, admodum amavi & in T E retuli,
verum & indefessum virum conamen, felicemque in stu-
diis rite & gnavoriter tractandis progreffionem hue usque at-
tentus perspexi. Ab elegantiorum litterarum tractatione ad
sublimius scientiarum genus adsppirans, in utraque florentif-
fissima Academia, Lipsiensi & Halensi, per quinquennium praef-
ter alias artes medicinam maximopere excoluisti, intra quod
tempus auditionibus quoque anatomicis Berolinensibus interfui-
sti, ubique vero locorum, quo in eruditorum palestra laudi
& dignitati studebas, ingenii alacrioris & clari studiique inde-
fessi specimina exhibuisti, nobilissimorumque, quos morum ac
doctrinae praefectos habuisti, virorum vestigia fecutus, animum
ad ea appulisti omnia, quae Deo gloriofa, Patriae salutaria,
utilia reipublicae, familiae honorifica, TIBIQUE vero atque
alii



aliis emolumento esse possunt. Non rerum copia & multitudine, sed pondere & utilitate eruditionem aestimans, ea complexus es animo, quae scitu digniora sunt & omnem ad vitam, siue tecum agas, siue cum aliis contrahas, omnimode profutura. Sicut vero cum lectionis & meditationis, tum usus & experientiae opus prudentia est, ita hanc quoque cum acquisitis legitime facultatibus in omni vita feliciter coniunge, siue sit consilium capiendum de futuris, siue de praeteritis iudicium ferendum; haec enim ars bene vivendi est, quemadmodum Medicina ars valetudinis. Inprimis autem in foro, quod ingrederis, omnem omnino viam TIBI monstrabit. Sed antequam ex Academia hac, in qua fere per biennium tam arcte consociati fuimus, penitus discedas, veniam mihi dabis, quod tam profectuum Tvorvm in edendo & publice defendendo specimine, quam honorum Doctoralium inde in TE collatorum, quos nunc acquisitum is, testis esse contendam. Gaudia & vota, non quae debo & volo, sed quae animo concepire meo, & verbis utcumque offerre possum, his literis TIBI publice declaro. Gratulor TIBI felix hoc & singulare in Chemia tentamen, in quo, cum non in omnibus, praesertim nondum satis comprobatae & expertae Chemicorum in producendo Phosphoro, sententiae patrocinatus fueris, hoc magis dexteritatis & eruditonis laudem mereris. Gratulor, & TE Patriam repetentem his prosequor precibus, ut divina providentia rebus Tvis perpetuo adsit, & per TE Tuaque studia bonum publicum simul ac privatum augeatur, promoteatur. Quod reliquum est, favore & amore Tvo, ut huc usque fieri amas, nunquam non me dignare. Vive diu, vive feliciter. Vale. Dabam Halae Magdeburgiae,
A.O.R. 1755. d. 12. Febr.



00 A 6332 (1)
VD 18




Dokto ✓

Farbkarte #13

B.I.G.

Centimetres

Inches



NAVGVRALIS CHEMICO-MEDICA SISTENS IORI VRINAE SIN ET VSVM EDICVM

QVAM
PICIIS SVMMI NVMINIS
RATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
EGIA FRIDERICIANA

RAESIDE
LENTISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO

DOMINO

AELIA BVCHNERO

OMANI IMPERII NOBILI,
ORVM REGI A CONSILIIS INTIMIS
OSOPH. NATVR. PROFESS. PVBL. ORD.
NATVRAE CVRIOSOR. PRAESIDE
ITE PALATINO CAESAREO,

ADV DOCTORIS
DICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
SOLEMNITER CONSEQUENDIS
FEBRVARII cī 15 CCLV.

H. L. Q. C.

CE PROPVGNABIT
AVCTOR

WILHELM. PENTZKY
SILSIA-SILESIUS.

EBVRG LITTERIS FABERIANIS.